

terti generis, passionem videlicet ac patibilem qualitatem. Potest tamen dici alteratio late sumpta. Verum hæc satis constant ex superius dictis circa alterationem.

Dices 1.<sup>o</sup> Motus violentus non procedit ab intrinseco. Sed motus projectorum est violentus. Ergo non est ab intrinseco. Atqui esset ab intrinseco, si procederet ab impetu ipsi projectis inhærente. Ergo.

Resp. *dist.* Major.: sive immediate sive saltem mediate, *conc.*; nunquam esse potest immediate ab intrinseco, *neg.*

*Conc.* Minor., et pari modo *dist.* conseq.

Et *contradistincta* Minore subsumpta, *neg.* ultimum conseq. Non enim repugnat, a causa extrinseca immediate causari in subjecto qualitatem inhærentem et alienam ab eodem, quæ deinde ad motum violentum, vel certe non naturalem, illud inclinet. Sic calor aquæ ab extrinseco impressus eidemque inhærens facit illam calefacere alia corpora, quin tamen calefactio ejusmodi sit aquæ connaturalis.

Dices 2.<sup>o</sup> Explicari non potest, cur impetus ille languescat, et sic motus ipse tandem cesset; itemque definiri nequit, num detur in sola projectione, an etiam in tractione, latione ac vectione. Ergo rejiciendus est prædictus impetus.

Resp. Impetum generatim languescere atque evanescere ob resistantiam externorum corporum, quæ projecto corpori obsistunt. Si autem corpus in vacuo moveretur, nunquam impetus extingueretur, ideoque motus, nulla obsistente causa externa, perpetuo duraret secundum legem inertie, quemadmodum docent Physici. Quod vero alterum spectat, non una est auctorum sententia: «Negant aliqui, inquit Sylvester Maurus; ego sequor partem affirmativam. Et de tractione probatur, nam si aliquis fune trahat pilam ligneam rotundam, et repente desinat trahere, pila non sistit, sed aliquo tempore motam prosequetur versus trahentem. Ergo dum trahitur, concipit impetum in illam partem, in quam trahitur. De latione probatur; quia dum aliquis currit deferens manu pilam rotundam, si sinat illam cadere, aliquandiu rotabitur in partem anteriorem. Ergo concepit impetum, dum ferebatur. De vectione demum probatur; quia cum navis fertur velocissime, si repente sistat allisa littori vel brevibus et syrtibus; qui stabant in navi, vel

cadunt, vel vehementer vergunt in illam partem, in quam navis ferebatur. Ergo conceperant impetum versus illam partem» (1). Secundum quam doctrinam, si gravitatem corporum concipias instar jugis cujusdam tractionis, quæ a terra exerceatur, facile intelliges, cur motus gravium constanter accelerare debeat.

Dices 3.<sup>o</sup> Sæpe nullus producitur impetus, ut v. g. cum quis irritò conatu conmittitur ingentem rupem movere.

Resp. Quid inde? Nos enim hic id unum contendimus, quotiescumque datur motus, causam illius agnoscendam esse, causam autem proximam motuum innaturalium esse impetum vel nisum mobili a motore impressum. Cæterum quando resistantia mobilis tanta est, ut a motore loco moveri nequeat, non est putandum conatus motoris nihil prorsus efficere, nam ut experientia ipsa docet, conatus ejusmodi pressionem et calorem producant in movente et in mobili. Verum plura de his quære, si lubet, apud veteres auctores (2).

### CAPUT III.

#### DE TEMPORE.

Absoluta tractatione motus, natura ipsa rerum postulat, ut de tempore instituatür disputatio: est enim maxima inter hæc duo connexio non solum in re, verum etiam in conceptibus. Et tempus quidem diximus in *Ontologia* esse generatim durationem successivam. Nunc autem accuratius ejus naturam ac divisiones definire oportet, cæterasque quæstiones pertractare, quæ circa temporis rationem institui possunt, solebantque a veteribus auctoribus diligenter disputari.

(1) Mauri, loc. cit., in responsione *Ad quartum*, 3.<sup>o</sup> *quæritur*...

(2) Vide præsertim Mayr et Rhodes.

## ARTICULUS I.

## Quid sit tempus.

Temporis  
describendi  
difficultas  
a S. Augustino  
exposita.

316. Pulchre S. Augustinus rei hujus exponendæ difficultatem aperit illis verbis: *Quid... est tempus? Quis hoc facile breviterque explicaverit? Quis hoc ad verbum de illo proferendum vel cogitatione comprehenderit? Quid autem familiarius et notius in loquendo commemoramus? quam tempus? Et intelligimus utique, cum id loquimur, intelligimus etiam cum, alio loquente, id audimus. Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quarat, scio; si quærenti explicare velim, nescio. Fidenter tamen dico scire me quod, si nihil præteriret, non esset præteritum tempus; et si nihil adveniret, non esset futurum tempus; et si nihil esset, non esset præsens tempus.* (1). Quæ difficultas cognoscendi et explicandi temporis, ut notat S. Thomas(2), non oritur solum ex ingenii nostri tenuitate, verum etiam ex ipsa rei imperfectione, atque adeo exigua cognoscibilitate. Ut ergo melius res declaretur, videndum prius est, an tempus sit, vel an tempus sit ens reale.

## § 1.—UTRUM TEMPUS SIT REALE QUIDDAM, ET DURATIO SUCCESSIVA.

Sententiæ  
neganti tempus  
esse reale.

Galenus et veteres quidam, quos refert Rubius ex Alberto M., putarunt tempus non esse ens reale existens in rerum natura, «sed existere in sola imaginatione vel apprehensione intellectus concipientis transitum mobilis per unam partem spatii prius, quam per aliam, et ex illo priori et posteriori, tamquam ex præterito et futuro, componere apud se unum tempus» (3) Pejus aberravit hac in re, sicut et in aliis plurimis, Emmauel Kantius. Cum enim sicut in externa

(1) S. August. *Confession.* lib. 11, cap. 17. Cfr. ibid. cap. 22, 23, 25. Id quod hisce verbis S. Augustinus expressit, aptissimo symbolo significabant *Ægyptii* Philosophi, depicta imagine serpentis caudam suam sub guttur attractam occultantis. Per spiras enim dierum annorumque volubiles series, ut D. Cyrillus ait, designabant; per caudam vero occultant et latentem eius naturam. Conimbricens. (*Physicor.* lib. 4, cap. 14, quest. 1 art. 2).

(2) Opusc. *de Tempore*, cap. 1 initio.

(3) *Physicor.*, lib. 4, cap. 14, tract. prior. *de Tempore*, quest. 1, num. 16.

sensatione, ita etiam in interna duplex elementum distinxisset, alterum *materiale* vel *empiricum*, vel a *posteriori*, alterum *formale*, *independens ab experientia*, vel a *priori*; elementum materiale et a posteriori decrevit esse affectiones et actus statum internum animi constituentes, formale autem et a priori tempus. Rationem itaque temporis voluit esse formam mentis a priori, seu animo innatam ac pure subjectivam, temporisque representationem *intuitionem puram*: fere sicut de spatio superius retulimus. Verum communis Scholasticorum sententia tenet tempus esse reale quiddam extra mentem existens. Solum disputatur inter eos, utrum tempus sit aliquid complete reale, an vero solum incomplete ita, ut notio ejus complementum accipiat ab intellectu: qua de re inferius aliquid delibabimus.

opponitur  
corumunis  
Scholasticorum  
doctrina,

Communis ergo Scholasticorum sententia probatur 1.<sup>o</sup> que probatur. Ex communi hominum sensu; omnes enim, sive docti sive indocti, loquuntur de tempore, tamquam de re minime conflictiva vel ideali, sed in rerum natura existente. 2.<sup>o</sup> Ratio vero est, «quia omne ens realiter existens et in sua existentia permanens, habet aliquam realem durationem sibi proportionatam... Sed inter entia dantur quædam successiva, quæ ita existunt, ut necessario per aliquam moram in suo esse permaneant; nam hoc intrinsece annexum est successioni. Ergo est in hujusmodi rebus duratio realis illis proportionata. Sicut ergo esse rei successive non ita durat, ut idem omnino permaneat in tota mora suæ durationis, sed ita ut pars ejus post partem adveniat; ita duratio talis esse non habet permanentiam stabilem, sed fluentem, si tamen nomen permanentiæ meretur: late tamen loquendo permanet, seu durat, quamdiu fluxus ejus non cessat, aut finitur» (1). Duratio vero hujusmodi tempus appellatur. Ergo tempus est reale aliquid extra mentem existens. 3.<sup>o</sup> Atque hæc veritas conformis est etiam sacris Litteris, in quibus dicitur Deus præcepisse, ut fierent *luminaria in firmamento cæli, et dividerent dies et noctes, et essent in signa, et tempora, et dies, et annos* (2). Et alibi: *Non est vestrum nosse tempora vel*

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 8 num. 3.

(2) *Genes.* cap. 1, vers. 14.

momenta, quæ Pater posuit in sua potestate (1) Et iterum: *Tuus est dies, et tua est nox* (2). Quibus in locis tempus innuitur esse vere aliquid reale 4.<sup>o</sup> Denique etiamsi nullus animus esset, qui res durantes perciperet, illa certissime durarent. Ergo absurdum est dicere rerum durationem non esse extra mentem, sed esse meram representationem subjectivam et a priori.

Dices. Illud reapse non existit, quod componitur ex partibus, quæ non sunt; nam entitas totius resultat ex partium entitate. Atqui tale est tempus; componitur enim ex præterito et futuro, quæ certe non sunt: siquidem præteritum fuit, et non est; futurum autem nondum est, sed erit. Nec vero respondeas, tempus existere ratione præsentis *Nunc*: nam *Nunc* pars temporis non est. Omnis enim pars aliquoties accepta mensurat, et æquat totum, aut saltem omnis pars cadit in compositione totius. Atqui *Nunc* multoties acceptum non mensurat totum tempus; nec istud componitur ex pluribus instantibus seu *Nunc*; nam instantia hujusmodi sunt indivisibilia; tempus autem, sicut nec alia continua, non componi ex indivisibilibus, superius probatum remanet (3).

Respondeo *dist.* Major. Illud non existit, quod componitur ex partibus, quæ nullo modo sunt, *conc.*; quæ non sunt simul omnes; *subdist.*, si sit ens permanens, *conc.*; si sit successivum, sicut tempus, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam ut recte scribit S. Thomas, *præteritum et futurum non sunt sic, ut simul sint. Nec hoc requiritur ad esse temporis, cum sit successivum... Habet tamen esse per aliquid indivisibile sui, quod continuat ea, scilicet per ipsum Nunc* (4). Id nempe proprium est entium successivorum, ut existant per continuum partium suarum fluxum ita, ut prior copuletur cum posteriori per indivisibile *Nunc* præsens (5). Cæterum si difficul-

(1) *Act. Apost.* cap. 1, v. 7.

(2) *Psal.* 73, vers. 10.

(3) Vide apud S. Thom., opusc. cit., *Dubitatur ergo primo*. Cfr. Benedict. Pererius, Rubius (locis citatis).

(4) S. Thom., loc. cit., *Ad rationes in oppositum*.

(5) Cfr. superius scripta num. 239, in responsionibus ad *Object.* 7.<sup>um</sup> ejusque *instantias*.

tas ista quidpiam evinceret, eodem modo probaret, nec motum, nec generatim ullam entitatem successivam, existere, nec existere posse in rerum natura.

317. Est ergo tempus non solum ens reale, verum etiam successivum et continuum. Certum enim est dari quædam entia successiva in rerum natura, qualis est v. g. motus. Duratio autem talium entium, quæ successiva etiam ipsa necessario est, nomen temporis apud omnes nacta est. Hinc ea est omnium hominum vox, tempus nunquam stare, sed perpetuo fluere ita, ut quod nunc est, illico transeat, et fiat præteritum, et quod nondum est, sed verissime erit, mox præsens fiat, et confestim prætereat. Quocirca scripsit S. Augustinus: *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas vel minutissimas partes dividi possit, id solum est, quod præsens dicitur. Quod tamen ita raptim a futuro in præsens transvolat, ut nulla mora extendatur* (1). Nec aliter Seneca: *Fluit tempus, et avidissimos sui deserit, nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo*. Atque hæc etiam causa est, cur mens nostra non advertat tempus præteriisse, dum non percipit transitum et successionem aliquam sive rerum externarum, sive interiorum suorum actuum: et sic dormientibus et in contemplatione defixis labitur celerrime tempus, quin animum advertant.

Præterea tempus non solum est successivum, sed etiam continuum. Nam duratio successiva rerum jugi fluxu decurrit absque ulla mora. Si autem ponas in tempore moram aliquam, jam non est unum idemque tempus, sed duo diversa, quæ mora illa separantur. Verum hæc fusius probata manent supra, cum continui natura et compositio ad mentem Aristotelis probata est.

318. Quod si tempus est entitas quædam realis, nempe duratio successiva et continua, sequitur etiam tempus aut esse motum, aut certe in solo motu reperiri. «Et ratio est, quia duratio, ut sic, supponit, saltem ordine rationis, esse, cujus est duratio, et extra illud non reperitur. Sed in rerum natura, nullum est ens successivum, quod supponi possit ad

Tempus est  
ens successivum

et continuum.

Tempus  
aut est ipsemet  
motus, aut certe  
in motu  
reperitur.

(1) S. August., *Confession.* lib. 11, cap. 15.

durationem successivam, nisi motus». Major constat. Quia duratio non potest esse nisi in re durante, nec potest esse in illa aliud, quam vel modus existentiae illius, vel aliquid ratione solum ab existentia distinctum, prout in *Ontologia* probatum manet (1). Minor vero patet inductione: ac probatur etiam ratione. «Quia nihil est per se in continua successione, nisi quatenus est *in fieri*, per quod non simul, sed paulatim acquirit suum *esse*. Ergo continua successio primo ac per se tantum est in motu. Oportet tamen sub motu comprehendere actionem et passionem; nam hæc possunt etiam consistere in successione continua. Quia vero hæc in re non distinguuntur a motu, sed præcisione mentis, ideo sub motu merito comprehenduntur; et in tantum successione habent, in quantum vel active vel passive pertinent ad actualem emanationem effectus a sua causa. Duratio ergo succesiva solum in motu continuo successivo reperitur» (2). Quomodo autem tempus vel duratio successiva a motu distinguatur, mox disputabitur.

Omnis  
motus suum  
intrinsicum  
tempus habet.

Nec vero solum tempus est in motu, sed etiam omnis motus suum proprium intrinsicum tempus habet. Id docuit aperte S. Augustinus in hæc verba: *Audivi a quodam homine docito, quod solis et lunæ ac siderum motus, ipsa sint tempora et anni. Cur enim non potius omnium corporum motus sint tempora? An vero si cessarent cæli lumina, et moveretur rota figuli, non esset tempus?* Et infra: *Nemo ergo mihi dicat cælestium corporum motus esse tempora, quia et cuiusdam voto cum sol stetisset, ut victor Josue prælium perageret, sol stabat, sed tempus ibat; per suum quippe spatium temporis, quod ei sufficeret, illa pugna gesta atque finita est* (3). Ratio vero manifesta est; quia «omnis res, quæ in *esse* reali durat, per durationem realem et intrinsicam durat; ergo quælibet ex his rebus durat per durationem realem sibi intrinsicam; ergo multiplicantur hæc durationes juxta multitudinem earum rerum, quæ sic durant. Atque hinc ulterius constat, juxta varietatem motuum continuorum esse varietatem in his

(1) Vide num. 362, 363, pag. 1078 seqq.

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 8, num. 4.

(3) S. August., *Confess.* lib. 11, cap. 23.

durationibus, nam est eadem ratio et proportio» (1). Atque hæc est sententia S. Thomæ (2).

319. Quæ cum ita sint, facile repellitur commentum Gassendii et Clarkii: quorum primus statuit tempus esse incorporeum quiddam absolutum et a rebus durantibus abstractum, quod per se intelligatur fluere et fluxisse, antequam res ullæ crearentur, ac fluere pergeret, etiamsi Deus omnia in nihilum redigeret (3). Clarkius tempus absolutum vult esse ipsam Dei æternitatem (4). Duæ istæ sententiæ simillimæ sunt illis, quas eosdem auctores docuisse meminimus circa spatium: et simili modo refutantur. Nam 1.<sup>o</sup> Tempus est duratio quædam successiva, ac reperitur in motu. Atqui repugnat, aut in æternitate motum esse successionemve, aut successionem et motum dari sine subjecto, quod successive moveatur. Ergo tempus nec est æternitas Dei, nec aliquid absolutum, quale Gassendus finxit. 2.<sup>o</sup> Deinde tempus illud absolutum, quod realiter existens ponitur tamquam duratio, in qua res efficiantur, vel est aliquid creatum, vel increatum. Increatum nihil est præter Deum, Deum autem tempus esse nefas est cogitare. Ergo deberet esse creatum. Quidnam ergo creatum est? An ab æterno? Atqui creatio non est æterna, sed temporanea, quemadmodum Fide divina docemur. Si autem tempus non est creatum ab æterno: ergo potuit creari prius, ac proinde sicut concipimus res creatas effici in tempore, ita ipsum tempus, quod absolutum dicitur, eodem jure concipiendum erit tamquam creatum in alia priori duratione. At quænam est hæc? Non aliud prius tempus, quia ante tempus absolutum non potest dari aliud prius; præterquam quod de illo priori tempore idem recurreret argumentum, et abiretur in infinitum. Si autem illa duratio prævia, in qua tempus absolutum crearetur, dicitur esse

Excluduntur  
sententiæ  
Gassendii  
et Clarkii circa  
tempus.

(1) Suarez (*Metaphys.* disp. 50, sect. 8, num. 6 et sect. 11, num. 11). Cfr. Pereira (loc. cit. cap. 4), Joannes a S. Thoma (*Physic.* quæst. 18, art. 1 et 3), Goudin (*Physic.* 1.<sup>a</sup> pars. disp. 3, quæst. 3, art. 2, *Dico secundo*.....), Cardin Aguirre (*Physic.* disp. 50, sect. 3, num. 27).

(2) S. Thom., 2.<sup>a</sup> dist. 12, quæst. 1, art. 5 ad 3.<sup>um</sup>

(3) Vide Gassendii, *Physic.* lib. 2, cap. 7.

(4) *Démonstration de l'existence de Dieu*, chap. 6.

æternitas, frustra invehitur tamquam reale aliquid tempus absolutum ad hoc, ut reliqua entia in eo crearentur; nam rectius dicitur, ante rerum creationem non aliam durationem præcessisse præter æternitatem. Tempus ergo absolutum, quod inexit Gassendus, pure commentitium est; non enim esse potest reale aliquid, sed tantum tempus imaginarium pureque possibile, quod mox describemus. Denique, ut alia omittamus, absurdum est dari aliquid in rerum natura, quod Deus nequeat in nihilum vertere, quodque aliis omnibus a Deo destructis, superstes remanere deberet. Certum est igitur eos, qui tempori absoluto realitatem asseruerunt, umbras et lusus imaginationis verum ac solidum ens arbitantes, in turpissimum errorem esse prolapsos.

Discrimen  
temporis ab  
æternitate, ævo  
et duratione  
rerum  
corruptibilium  
permanentium.

320. Ex his ergo jure concluditur tempus proprie dictum esse reale aliquid, nempe durationem successivam ac propriam motus. Unde etiam patet ejus discrimen ab æternitate et ævo, immo et a duratione permanenti substantiarum entitatumque naturaliter corruptibilium. Nam æternitas est increata, simplicissima, immutabilis, sive substantialiter sive accidentaliter, atque absolute indefectibilis duratio et existentia, quæ soli Deo competit; reliquæ vero omnes durationes sunt creatæ, rerumque creatarum propriæ. Et ævum quidem est duratio naturaliter incorruptibilis a parte post, simplex et indivisibilis omnemque respuens successionem quoad esse substantiale, et solum admittens successionem secundum actus et accidentia; talis est duratio propria substantiarum spiritualium creatarum, angelorum et animalium rationalium (1). Tempus vero proprie dictum est duratio, successionem essentialiter importans secundum suum esse. His accedit duratio entium corruptibilium, quæ sub nomine *instantis permanentis ac temporis intrinseci* designatur a quibusdam, et est quidem et ipsa substantialiter permanens verum naturaliter corruptibilis; eaque convenit corporeis substantiis (2).

(1) Vide *Ontologiam*, num. 365, ubi ostendimus nullam esse in ævo successionem quoad esse substantiale: quæ est *communissima* doctrina Scholasticorum cum S. Thoma, ut statim magis patebit.

(2) Præter has durationes distinguunt multi aliam, quæ propria sit visionis beatificæ, quam putant successionis variationis quæ expertem, sicut etiam dilectio et fructus substantialis inde procedens: hanc

Hæc est valde communis sententia Doctorum (1) cum S. Thomæ, saltem relate ad discrimen æternitatis, ævi ac temporis. *Ex his, quæ dicta sunt, inquit potest assignari differentia inter æternitatem, ævum et tempus; quia æternitas est mensura rei incommutabilis, non respicientis vices in operatione; ævum autem est mensura rei, cujus esse est incommutabile, quod tamen recipit vices in suis operationibus; tempus vero est mensura rei secundum omnem modum mutabilis et successivæ* (2). Alibi non semel idem S. Doctor eandem evolvit doctrinam luculentissime: *Ævum differt a tempore et æternitate, sicut medium existens inter illa. Et horum differentiam aliqui sic assignant dicentes, quod æternitas principio et fine caret, ævum habet principium, sed non finem; tempus autem habet principium et finem. Sed hæc differentia est per accidens, sicut supra dictum est* (artic. præced.). *Quia etiamsi semper ævilerna fuissent, et semper futura essent, ut aliqui ponunt, vel etiamsi quandoque deficerent (quod Deo possibile esset), adhuc ævum distingueretur ab æternitate et tempore. Alii vero assignant differentiam inter hæc tria per hoc, quod æternitas non habet prius et posterius; tempus autem prius et posterius cum innovatione et veteratione; ævum habet prius et posterius sine innovatione et veteratione* (3). *Sed hæc positio implicat*

Sententia  
S. Thomæ.

durationem vocant æternitatem participatam, et etiam modum æternitatis. Vide v. g. Suarez (*Metaphys.*, disp. 50, sect. 6, num. 14, 15); Rubium (*Physic.*, lib. 4, cap. 14, tract. poster. de Tempore, num. 82 seqq.), Conimbricenses (ibid. quest. 3, art. 1), Joannem a S. Thom. (*Physic.*, quest. 18, art. 1, *Tertia difficultas*). Alii tamen durationem horum actuum supernaturalium ad ævum revocant.

(1) Vide Suarez (*Metaphys.*, disp. 50, sect. 4-9), Conimbricenses (*Physicor.*, lib. 4, cap. 14, quest. 3, art. 1), Rubium (loc. cit. tractat. poster., num. 65, 70 seqq.), Benedictum Pererium (op. cit. lib. 12, cap. 2, 9, 12), Rhodes (op. cit. lib. 2, disp. 5, quest. unic., sect. 2), Complutenses (*Physic.*, disp. 21, quest. 2), Card. Aguirre (*Physic.*, disp. 30, sect. 3), Joann. a S. Thom. (*Physic.*, quest. 18, art. 1), Mastrium (*Physic.*, disp. 13, quest. 3, art. 1).

(2) S. Thom., opuc. cit. cap. 4.

(3) Hæc opinio, quam probabilem putarunt Henricus et Scotus apud Rubium, Complutenses et Card. Aguirre, re vera defenditur a S. Bonaventura (2.<sup>a</sup> dist. 2, prim. part. art. 1, quest. 3), quam tamen ab omnibus pene Scholasticis desertam esse scribit Benedictus Pererius (loc. cit. cap. 12). Eandem postea plurimos recentiores suppresso

contradictoria; quod quidem manifeste apparet, si innovatio et veteratio referantur ad ipsam mensuram. Cum enim prius et posterius durationis non possit esse simul, si ævum habet prius et posterius, oportet, quod priori parte ævi recedente, posterior de novo adveniat; et sic erit innovatio (et veteratio) in ipso ævo, sicut in tempore. Si vero referatur ad mensurata adhuc sequitur inconveniens. Ex hoc enim res temporalis inveteratur tempore, quod habet esse transmutabile, et ex transmutabilitate mensurati est prius et posterius in mensura, ut patet (*Physic. lib. 4, text. 110, 117*). Si igitur ipsum æviternum non sit inveterabile nec innovabile, hoc erit, quia esse ejus est intransmutabile. Mensura ergo ejus non habet prius et posterius. Est ergo dicendum, quod cum æternitas sit mensura

nomine amplexos esse scribit Card. Aguirre (*Physic., disp. 30, sect. 1, num. 2*), qui tamen mox (*ibid. sect. 3, num. 10*), ait oppositam doctrinam S. Thomæ communiter teneri a Philosophis ac Theologis. Rubius vero prius eandem communem fere in Schola et veram esse (*Rub. Physic. lib. 4, cap. 14, tractat. poster. num. 70*), s. ripserat. Sententiam S. Bonaventuræ sequitur nostris diebus cl. P. De San (*Cosmolog. num. 503. Cfr. num. 408, 409 seqq.*) cum Card. Lugo (*de Eucharist. disp. 5, sect. 3, num. 65; et sect. 5, num. 132*), Arriaga (*Physic. disp. 15*), Sylvestro Mauro (*Quæst. philos. lib. 2, quæst. 32*), et quibusdam aliis. Perperam autem n. citat præclarus scriptor quosdam veteres, ac nominatim Rubium, quasi tenuerint ævum vel durationem substantiarum immaterialium esse successivam. Rubius enim discrete contrarium docet (*loc. sup. cit. num. 70 seqq.*). Dicit itaque quæstiones accurate distinguendæ hi: sunt, quas etiam distinguit cl. P. De San; prima, utrum creata duratio re distinguatur ab existentia, et altera, utrum duratio omnis creata essentialiter sit successiva. Jam vero non solum illi, qui durationem non distinguunt ab existentia sed etiam multi, qui censent creatam durationem realiter modaliter distingui ab existentia, ut v. g. Rubius (*loc. cit. et ib. tractat. prior. quæst. 4*), et Conimbricenses (*Physicor. lib. 4, cap. 14, quæst. 2, art. 2; quæst. 3, art. 1*). Complutenses (*Physic. disp. 21, quæst. 2; e. quæst. 3*), et alii plures, negant nihilominus durationem angelorum immaterialiumque substantiarum esse successivam, prout S. Bonaventura docuit; sed contendunt esse quoad esse substantiale totam simul, quin habeat intrinsece præteritum et futurum, ut sæpe docuit S. Thomas et communissime Scholastici. Non ergo satis accurate locutus est cl. P. De San, cum assertores doctrinæ distinguendis durationem ab existentia laudavit indiscriminatim etiam tanquam sibi amicos in hac alia doctrina, successionem essentialiter asserente omni create durationi, etiam angelicæ.

esse permanentis; secundum quod aliquid recedit a permanentia essendi, secundum hoc recedit ab æternitate. Quædam autem sic recedunt a permanentia essendi, quod esse eorum est subiectum transmutationis, vel in transmutatione consistit; et huiusmodi mensurantur tempore, sicut omnis motus, et etiam esse omnium corruptibilium. Quædam vero recedunt minus a permanentia essendi, quia esse eorum nec in transmutatione consistit nec est subiectum transmutationis; tamen habent transmutationem adjunctam vel in actu, vel in potentia; sicut patet in corporibus cælestibus, quorum esse substantiale est intransmutabile; tamen esse intransmutabile habent cum transmutabilitate secundum locum; et similiter patet de Angelis, quod scilicet habent esse intransmutabile cum transmutabilitate secundum electionem, et cum transmutabilitate intelligentiarum, et affectionum, et locorum suo modo; et ideo huiusmodi mensurantur ævo, quod est medium inter æternitatem, et tempus. Esse autem, quod mensurat æternitas, nec est mutabile, nec mutabilitati adjunctum. Sic ergo tempus habet prius, et posterius; ævum autem non habet in se prius, et posterius, sed ei conjungi possunt; æternitas autem non habet prius, neque posterius, neque ea compatitur (1). Unde etiam diserte docet, in ævo et æternitate non esse intrinsece præteritum et futurum, sed solum extrinsece et æquivalenter, quatenus in sua simplicitate cœexistit tempori, quod habet intrinsece et essentialiter præteritum et futurum: *Rei æternæ vel æviterne aliquid potest attribui dupliciter: uno modo ratione sui ipsius; et sic non attribuitur ei neque fuisse neque futurum esse, sed solum esse, quia in præterito et futuro implicatur prius et posterius, non autem in præsentia. Alio modo ratione mensuræ adjacentis vel subjacentis, id est ratione temporis; et sic attribuitur ei fuisse per concomitantiam ad tempus præteritum, et futurum esse, per concomitantiam ad tempus futurum (2).*

(1) S. Thom. 1. p. quæst. 10, art. 5. Cfr. 1.<sup>o</sup> dist. 8, quæst. 2, art. 2; 2.<sup>o</sup> dist. 2, quæst. 1, art. 1, ubi rationes et exempla ipsa S. Bonaventuræ confutantur. Item de *Potent.* quæst. 3, art. 14, ad 9.<sup>am</sup> eorum, que in contrarium opposita sunt; *Quodlib.* 10, art. 4; opusc. *Respons.* ad Fratrem Joann. Vercellens. de articulis 108, quæst. 102.

(2) S. Thom., *Quodlib.* 10, art. 4, ad 1.<sup>am</sup> Cfr. 1. p., quæst. 10, art. 5, ad 1.<sup>am</sup>; et opusc. cit. ad Fr. Joann. Vercellensem.

Partes temporis.

321. Jam si tempus est duratio quædam essentialiter successiva, constat necessario partibus, præterito nempe et futuro, quæ uniuntur et continuantur indivisibilibus momentis vel instantibus, quæ dicuntur *Nunc*, et respondent atque æquivalent punctis illis, quibus copulari, et continuari probavimus partes continui permanentis. Sicut enim partes omnes assignabiles extensi necessario sunt extensæ atque ulterius divisibiles, ita etiam tempus et quælibet partes ejusdem assignabiles sunt ex aliis minoribus partibus compositæ, quin possit unquam deveniri ad partes minimas simplices et ulterius indivisibiles: verbo, singulæ partes temporis sunt tempus (1). Dubitatur autem, et controvertitur, utrum tempus præsens sit, vel existat ratione sui, an vero solum ratione indivisibilis *Nunc* copulantis partes temporis. Opinio communior tenet solum indivisibilia *Nunc* ratione sui esse posse præsentia, partes vero temporis non esse præsentis ratione sui, sed tantum ratione indivisibilium, inchoantium vel terminantium illas; nam sicut punctum in continuo permanenti, ita in tempore unum idemque indivisibile, duas partes copulans, est terminus prioris et initium posterioris (2). Secundum quam sententiam partes proprie temporis non videntur esse, nisi præteritum et futurum, quia id, quod est ratione sui præsens, nempe indivisibile instans, non est pars, sed unio partium; sicut in continuo permanenti punctum non est pars proprie, sed vinculum commune partium. Ratio hujus sententiæ illa præcipua esse potest, quod cum tempus sit essentialiter in perpetuo fluxu, quin possint simul esse duæ partes, necessario videtur esse dicendum, quod solum indivisibile quiddam possit esse actu præsens de tempore. Atqui, nisi dicamus cum Zenonis asseclis, tempus ex solis indivisibilibus instantibus componi, nulla proprie dicta pars ejus

Utrum  
tempus sit  
ræsens ratione  
sui, an vero  
solum ratione  
indivisibilis  
*Nunc* copulantis  
partes ejusdem

(1) Vide [superius scripta in hoc eodem libro, disp. 2, cap. 2, art. 4.

(2) Vide Cardin. Aguirre (*Physic.*, disp. 31, sect. 4 et 5, ubi fuse de hac re), Goudin (*Physic.* 1.<sup>a</sup> pars, disp. 3, quæst. 3.<sup>a</sup> artic. 2, *Dico tertio*), Complutenses (*Physic.*, disp. 21, quæst. 5), et Joann. a S. Thoma (*Physic.*, quæst. 18, art. 2). Hanc eandem sententiam tuetur nostris diebus cl. P. Pesch (*Philos. natural.* num. 491 seqq.).

assignabilis est simplex et inextensa, sed solum sunt simplicia et inextensa momenta vel instantia, seu *Nunc*, quibus partes temporis continuantur. Ergo solum ea existunt præsentia ratione sui. Alii vero putant tempus esse præsens vel existere non solum ratione indivisibilium, sed etiam secundum suas partes, quamvis non ita, ut partes sint simul actu, sed successive. Et videtur etiam ita dicendum esse; quia certum est futurum transire in præteritum. At quomodo intelligi potest futurum transire in præteritum, quin fiat etiam secundum se aliquando præsens? verum præstat legere Suarezium, qui dilucide sententiam istam exponit, ac tuetur (1).

Illud tamen omnino verum est, tempus ita esse in perpetuo fluxu, ut nihil de eo stet, ne ipsum quidem *Nunc* vel indivisibile momentum, quod solum dicitur in communione sententiæ ratione sui præsens esse, tamquam vinculum commune partium, ac terminus priorum et initium posteriorum. Rem pulchre, ut assolet, eleganterque declarat magnus Augustinus: *Ecce loquendo dicimus: Hoc anno. De toto anno quid præsens tenes? Quidquid de illo præteritum est, jam non est: quidquid de illo futurum est, nondum est. Quomodo: Hoc anno? Et de ista hora quid tenes? Momenta ejus quædam jam transierunt, quædam futura sunt, nondum venerunt. Hoc momento, dic. Quo momento? Dum syllabas loquor, si duas syllabas dicam, altera non sonat, nisi cum illa transierit: ipsa denique una syllaba si duas litteras habeat, non sonat posterior littera, nisi prior abierit. Quid ergo tenemus de his annis? Anni isti mutabiles sunt, anni æterni cogitandi sunt* (2).

322. Quod si tempus partibus pluribus constat in infinitum divisibilibus, sequitur plura quoque in eo momenta vel *Nunc* distinguenda esse, contra, ac decernit post aliquot veteres auctores cl. P. Liberatore (3). Ratio vero est manifesta, quia instans vel *Nunc* in tempore perinde se habet, ac puncta copulantis in continuo permanenti: est enim unio

De tempore  
nihil stat  
permanens.

In tempore  
non est unicum  
momentum  
vel *Nunc*, sed  
plura.

(1) Vide Suarez (*Metaphys.*, disp. 56, sect. 9 a num. 28), Cfr. Conimbrienses (*Physic.*, lib. 4, cap. 14, quæst. 1, art. 4), Rubius (*ibid.* tract. prior. de Tempore, quæst. 1, num. 25 26).

(2) S. August., in *Psalm.* 76.

(3) *Cosmolog.* num. 95.

partium priorum ac posteriorum. Ergo ubi sunt plures partes, ibi plura distinguenda sunt instantia illas unientia. Ergo si plures sunt, fatentibus omnibus, partes in tempore, plura etiam sint momenta vel *Nunc*, oportet. Præterea non possunt partes fluere, quin fluat etiam unio continuans partes terminando priores et inchoando posteriores, ut per se patet. Atqui partes temporis essentialiter fluunt. Ergo et unio earum seu *Nunc*. Cum ergo in tempore semper præter præteritum et futurum detur aliquod *Nunc* præsens, necesse est, ut sint plurima instantia, quæ successive transeant simul cum partibus, quas copulant: non quidem ita, ut post unum *Nunc* immediate aliud *Nunc* succedat, secus enim tempus ex solis indivisibilibus momentis componeretur; sed ita ut post singula momenta partes aliæ temporis divisibiles, suis et ipsæ momentis vel *Nunc* continuatæ copulatæque, succedant, fere sicut de punctis et partibus continui generatim dictum est. Videlicet certum est quod modo est præsens in tempore, illico transire, et aliud fieri præsens. Atqui id, quod præsens est vel fit, est ipsum *Nunc* vel instans vel momentum. Ergo... (1). Lege Aristotelem et S. Thomam (2).

Dices. Hæc est sententia S. Thomæ: *Sicut est idem mobile secundum substantiam in toto motu, variatur tamen secundum esse, sicut dicitur, quod Socrates in foro est aller a seipso in domo; ita Nunc est etiam idem secundum substantiam in tota successione temporis, variatum tantum secundum esse, scilicet secundum rationem, quam accipit prioris ac posterioris* (3). Quid clarius? Quæ doctrina omnino desumpta est ex Aristotele (4).—**Respondeo**, testimonium istud haud absurde explicari posse, dicendo idem

(1) Vide Rubium (loc. cit. tract. prior., quæst. 2, num. 38, 39), Toletum (*Physic.* lib. 4, quæst. 13), Benedictum Pereira (oper. cit. libr. 12, cap. 4 vers. fin.).

(2) Vide Aristotelem (*Physicor.* lib. 4, cap. 12, text. 110; cap. 11, text. 67), S. Thom. (*Physic.* lib. 4, lec. 10, paragr. c.; et lec. 16 fin.; 1 p. quæst. 46, art. 3 ad 3.<sup>am</sup>; de *Potent.* quæst. 3, art. 17 ad 16.<sup>am</sup>; 1.<sup>o</sup> dist. 10, quæst. 2, art. 1).

(3) S. Thom., 1.<sup>o</sup> dist. 19, quæst. 2 art. 2. Cfr. 1. p. quæst. 10, art. 2, ad 2.<sup>am</sup>.

(4) Vide Aristot. (*Physic.* lib. 4, cap. 11, text. 103 seqq.) Cfr. S. Thom. (ibid. lect. 18).

ipsum *Nunc* temporis, quod modo præsens est, fluere ac transire in præteritum, sicut priusquam esset præsens, erat futurum: et propterea in toto illo fluxu idem esse *Nunc* secundum suam entitatem, quamvis secundum rationem varietur, quia nempe diversum est secundum rationem esse præsens, ac futurum, et præteritum. Quo pacto etiam mobile quod ab uno loco in alium transit, idem quidem est entitative, sed potest secundum rationem dici quodammodo diversum. Et propterea S. Thomas momentum temporis, quantumvis simplex, distinguit a momento æternitatis; quia cum momentum vel *Nunc* æternitatis semper stet absque fluxu, idem in seipso perseverat et secundum substantiam vel entitatem et secundum rationem; ideoque est etiam *unum*, æquivalens et excedens tempus infinitum, quod cum infinita partium successione ab æterno in æternum fluere fingatur. At vero *Nunc* temporis *fluit* (1), ac transit, ideoque licet idem sit secundum substantiam, at ratione variatur. Atque hæc minime significant in toto tempore non esse nisi unicum *Nunc*: primo quia tota hæc doctrina vera est, licet infinita successive instantia dentur, quæ alia post alia transeant in tempore; nam de *singulis illis* verum est quod dum sunt in futuro et in præsentem et in præterito, sint idem secundum entitatem, et variantur secundum rationem. Secundo, si mens S. Thomæ foret asserere unicum dumtaxat esse *Nunc* præsens in tempore, fluentibus dumtaxat variis partibus hujus temporis, secum pugnaret, nec posset explicare discrimen inter *Nunc* æternitatis et *Nunc* temporis; nam utrumque præsens perenniter immotum permaneret. Quoniam ergo semper est aliquod *Nunc* præsens in tempore, *Nunc* autem temporis fluit; necesse est innumera succedere perpetuo momenta vel *Nunc* in tempore.

Quæ cum ita sint, haud operosum erit præcipuas analogias ac differentias, quæ inter spatium vel locum tempusque intercedunt, agnoscere. Quemadmodum enim omne corpus *alicubi* est, ita etiam est *aliquando*: repugnat videlicet rem esse, quæ *nunquam* aut *nusquam* sit. Et sicut etiam

Analogiæ  
ac differentię  
inter spatium  
et tempus.

(1) Vide S. Thom., *Physicor.* lib. 4, lect. 18, paragr. c.; 1 p., quæst. 10, art. 4., ad 2.<sup>am</sup>.

spatium imaginatur tamquam continuam et immensam capacitatem recipiendorum corporum, nullis clausam limitibus, ita etiam tempus tamquam mensuram innumerarum durationum. Differunt tamen, quia spatium est permanens, atque adeo habet partes omnes simul, sed tempus est successivum, et essentialiter importat perennem partium fluxum: deinde non omnia, quæ sunt in loco, nec eodem modo, sunt quoque in tempore, ut inferius declarabitur.

§ II.—QUOTUPLEX SIT TEMPUS.

Divisio  
temporū in  
absolutum  
vel possibile  
vel imaginarium  
et reale.

323. Prima divisio temporis est in absolutum vel possibile vel imaginarium et reale. Tempus reale est duratio successiva realiter existens. Tempus absolutum est duratio quædam successiva, quæ a nobis concipitur tamquam per se existens et separata ab omni corpore, uniformis, expers determinati initii et finis, atque adeo æterna quodammodo, infinita et necessaria, omnem creatam durationem in se continens et excedens, in qua proinde res omnes durare, et extra quam durare nullam posse intelligitur. Tempus huiusmodi absolutum nullum datur a parte rei, ut constat ex probatis contra Gassendium: in eo autem sunt quædam notæ reales, quibus imaginatio adjungit alias impossibiles; et propterea ratione habita dumtaxat priorum vocatur etiam tempus possibile, prout autem complectitur alias notas, nomen accipit temporis imaginarii, estque verum ens rationis. Notæ porro reales exprimunt possibilem quamdam durationem successivam, anteriorem huic reali nostro temporis, nam istud tempus nostrum nunquam *cepit possibile* esse; et quamquam non *semper fuit*, potuit, volente Deo, prius ac prius sine fine a parte ante incipere esse, et potest etiam durare in æternum cum suo perenni fluxu. Tempus ergo, quod foret antiquius et prius omni reali tempore assignabili in particulari, quodque duraret in infinitum, est tempus possibile. Si autem huiusmodi tempus ex imaginationis lusu apprehendatur tamquam per se stans extra et præter omnem aliam rem creatam, habensque actualitatem aliquam propriam necessariam et indestructibilem atque æternam, instar mensuræ ac regulæ durationis omnis successivæ, est prius ens commentitium, et in hoc sensu vocatur tempus

imaginarium, geritque maximam cum spatio imaginario analogiam et similitudinem.

Tempus reale dividitur in internum vel particulare et externum vel universale. Externum est tempus, quod assumitur pro mensura ad dimetiendos alios motus, et propterea dicitur etiam universale: tale est v. g. tempus solare annorum, mensium vel dierum, etc. Internum vero seu particulare non sumitur hic pro duratione permanenti rerum corruptibilium, sed pro duratione propria cujusvis motus, quam verbis illis descripsit S. Augustinus, quæ paulo superius excerpimus (1). Motus ergo astrorum, qui respectu eorundem sunt intrinseci, dicuntur extrinseci respectu eorum, ad quos dimetiendos adhibentur. Ratio hujus diversitatis temporis desumpta est ex vitæ humanæ necessitatibus. Quemadmodum enim ad mensurandam et cognoscendam magnitudinem extensionis corporeæ vel ponderum, usurpare consueverunt homines quantitates quasdam ratas beneque notas, puta ulnam, leucam, unciam, libram etc.; ita etiam necesse fuit, ad cognoscendam durationem motuum et actionum, tempora quædam instar normæ certæ atque infallibilis adhibere. Quoniam vero nihil certius, uniformius, æquabilius magisque sensibile reperitur siderum, ac nominatim solis, motibus, ideo apud omnes pene gentes motus potissimum solis atque etiam lunæ, pro mensura cæterorum omnium motuum ac temporum assumpti sunt: nam ipsa quoque horologia, quibus passim utimur, ad normam diurni motus terræ circa proprium axem sese vertentis affabre construuntur, ut nempe durationes durationibus motus istius diurni vel partium ejus æquales admissim signent, atque demonstrent (2). Unde etiam factum est, ut vulgo nihil aliud fere nomine temporis significetur præter huiusmodi tempus externum. Ac propterea etiam veteres Philosophi (3) passim

Tempus  
internum  
vel particulare  
et externum  
vel universale.

(1) S. August., *Confession.* lib. 11, cap. 23.

(2) Non nego id, quod Astronomi docent, motum solis et lunæ non esse uniformem in rigore mathematico; nam et *declinatio* et *ellipticum iter*, qua moventur terra et planetæ circa solem, sunt in causa, cur solare tempus non semper sit perfecte æquabile. Nihilominus ista uniformitas sufficit ad communes usus vitæ humanæ, nec desunt Astronomis industria ad isti defectui occurrendum.

(3) Vide v. g. S. Thom., 1 p. quæst. 10, art. 6 etc.

tempus unum dumtaxat esse decernebant, extrinsecum istud significantes, ac nominatim tempus annuum, quod ex translatione motu terræ circa solem per eclipticam existit, quamvis illius causam prisci motum esse cælestis cujusdam sphaeræ, annuis gyris tellurem circumeuntis, arbitrarentur. Licet enim sua sint aliis quoque sideribus peculiaris tempora; quia vero nullum aliud est vel manifestius vel nobis familiaris motuum solarium certissimis temporibus, et quia tota hujus nostri planetæ vita perpetuaque generationum et corruptionum series omnino ab apparenti solis motu dependet; nulla potuit ab hominibus aptior temporum suorum mensura eligi, vel excogitari.

Tempus materiale et spirituale.

Tertio dividitur tempus in materiale et spirituale. Materiale est tempus, quod in physicis et corporalibus motibus consumitur. Spirituale autem est, quod invenitur in motibus spiritualibus spiritualis substantiæ: quod non est intelligendum de motibus, quos illæ, v. g. angeli, ad extra efficere possunt in corporibus, nam durationes ejusmodi vere ad materiale tempus pertinent; neque de actibus intentionalibus intelligendi et volendi, quos prædictæ substantiæ possunt elicere; illi enim non sunt motus proprie dicti; sed de aliis motibus successionem habentibus, quales sunt v. g. motus locales illarum substantiarum, vel etiam mutationes successivæ augmenti vel intensiōnis spiritualis, quæ inveniri potest in actibus intellectus vel voluntatis angelicæ, quæ pro sua libertate potest intensius vel remissius operari cognoscendo vel amando, et ita etiam potest eundem actum magis ac magis continue intendere, continue etiam adhibendo majorem conatum suarum virium per voluntatem suam (1). Hujusmodi enim actus sunt veri motus spirituales, et considerari, ac reperiri possunt sive in angelis sive in anima separata, immo et in anima conjuncta, ut ostendit Eximius Doctor (2).

continuum et discretum.

Denique tempus dividi potest in continuum et discretum. Continuum est illud, quod hactenus descripsimus, quod nempe partibus constat in sua successione continuis, nullaque mora vel quiete interruptis. Tempus discretum est illud,

- (1) Suarez, *Metaphys.* disp. 50, sect. 8, num. 7.  
(2) Suarez, *ibid.* num. 8.

quod constat successione partium discretarum, nulloque vinculo continuitatis copularum: tale est tempus, quod complectitur plura instantia angelica sibi succedentia, quæ in *Ontologia* (1) descripta reliquimus. Hujusmodi tempus non est unum per se ens, sicut est tempus continuum.

### § III.—UTRUM TEMPUS RE DIFFERAT A MOTU.

324. Diximus tempus esse in motu: nunc videndum est, quomodo se habeat respectu illius, sitne unum idemque realiter cum illo et sola ratione distinctum, an vero etiam re distinguatur. Et controversia non est, ut per se patet, de identitate extrinseci temporis, puta horologii vel motus diurni cælorum, et motuum, qui tali extrinseci tempore mensurantur, hæc enim profecto re discriminantur; sed de tempore vel duratione intrinseca cujuslibet motus. Jam enim monuimus quemlibet motum habere suam durationem intrinsecam, qua in suo *esse* permanet, quamdiu existit: quæ duratio est intrinsecum, proprium et particulare tempus ejus. Quærimus ergo, utrum istud tempus intrinsecum cujuslibet motus re differat ab eo. Quod saltem ratione differat tempus a motu communis est omnium vox, communi omnium concipiendi modo nixa; motum enim apprehendimus præcisè tamquam viam ad terminum, tempus autem tamquam moram et permanentiam in *esse*, quam talis motus vel via habeat, necesse est. Ergo saltem conceptus motus ac temporis sunt distincti. Acriter autem controvertitur, utrum ipsa quoque utriusque realitas distinguatur. Distingui arbitrantur Henricus Gaudavensis, Richardus, Major et Argentinas (2), Capreolus (3), Complutenses (4), Cardin. Aguirre (5), alique, quibus accedunt e nostra Societate Rubius (6),

Utrum et quomodo tempus distinguatur a motu.

controvertitur. Variæ opiniones.

- (1) *Ontolog.*, num. 368, pag. 1059, 1060.  
(2) Apud Rubium, *Physic.* lib. 4, cap. 14, tract. prior. *de Tempore*, quæst. 4, num. 51.  
(3) 2.<sup>a</sup> dist. 2, quæst. 2 in resp. ad 1.<sup>am</sup> argum. contra 2.<sup>am</sup> part. sextæ conclus.  
(4) *Physic.* disp. 21, quæst. 3.  
(5) *Physic.* disp. 31, sect. 2.  
(6) *Physic.* loc. cit.

Toletus (1), Sylvester Mauri (2), et nostris diebus cl. P. De San (3). Et pro eadem sententia laudari potest etiam S. Augustinus (4), nisi velis illum interpretari de sola rationis distinctione. Negant tamen tempus re distingui a motu Sco- tus (5), Gabriel, Gregorius, Ockam et Bassolis apud citatum Rubium, itemque Dominicus Sotus (6), Suarez (7), Vaz- quez (8), Benedictus Pererius (9), Conimbricenses (10), Cos- mus Alamanni (11), Soarez lusitanus (12), Mastrius (13), Pontius (14), et Claudius Frassen (15). Et idem videtur quo- que sentire etiam Cajetanus (16), et Joannes a S. Thoma (17), S. Thomam et Aristotelem utraque sententia suos esse con- tendit. Quamvis forte probabilis sit, ipsos distinxisse motum ac tempus realiter: nam data opera probant hęc distingui, nec video sufficiens indicium, ut eos de sola rationis distinctione locutos esse judicem (18). Unum tamen nota, inter eos, qui negant tempus et motum re distingui, esse quosdam, ut v. g. Conimbricenses, qui sola rationis distinctione minime con- tenti, formalem distinctionem ex natura rei obtrudere conantur.

- (1) *Physic.* lib. 4, quest. 12, prima conclus.  
 (2) *Question. philos.* lib. 2 quest. 32.  
 (3) *Cosmologia*, num. 596.  
 (4) *Confession.* lib. 11, cap. 24.  
 (5) 2.<sup>a</sup> dist. 2, quest. 2.  
 (6) *Super lib.* 4.<sup>um</sup> *Physicor.* quest. 4, conclus. 3.<sup>a</sup> et 4.<sup>a</sup>  
 (7) *Metaphys.* disp. 50, sect. 9.  
 (8) In 1.<sup>am</sup> part. disp. 33, cap. 3, num. 18.  
 (9) *De communibus* etc. lib. 12, cap. 1, *Alii autem e contrario*.  
 (10) *Physic.* lib. 4, cap. 14, quest. 2, art. 1.  
 (11) *Summa Philosoph.*, prima secundæ, quest. 21, art. 5.  
 (12) *Physic.* tract. 5, disp. 3, sect. 2.  
 (13) *Physicor.* disp. 13, quest. 4, art. 1, num. 35.  
 (14) *Physicor.* disp. 17, quest. 2, conclus. 1.<sup>a</sup>  
 (15) *Physic.* disp. 3, quest. 2 *de Tempore*, conclus. 4.  
 (16) In 1.<sup>am</sup> p. quest. 10, art. 5 et 6.  
 (17) *Physic.* quest. 18, art. *Ex quibus colligitur*.  
 (18) Vide Aristot. (*Physicor.* lib. 4, cap. 10, text. 95 et 96). S. Thom. *ibid.* lect. 16, paragr. e, f; et opus. *de Tempore* cap. 2). Nihilominus P. Cosmus Alamanni, fidelissimus S. Thomæ interpretes et assecla, existimat (loc. cit.) S. Doctorem solam rationis distinctionem tenuisse. Et Chrysostomus Javellus etiam scribit Aquinatam modo in unam modo in alteram videri declinare sententiam. Vide Javel. (*Physic.* lib. 4, quest. 20).

Hęc altera sententia negans realem temporis et motus distinctionem solamque rationes agnoscens, mihi quoque probabilior videtur. 1.<sup>o</sup> Primo propter generalem illam rationem, quod duratio re non distingatur ab esse rei durantis. Ergo tempus, quod est duratio intrinseca motus, non distinguendum est ab illo. 2.<sup>o</sup> Videtur dari in motu successivo aliqua mora et permanentia in esse penitus essentialiter inseparabilis ab eo. Ubi enim est successio, essentialiter sunt partes priores et posteriores, quas repugnat simul esse, ideoque non possunt esse absque aliqua mora. Ergo ex hoc ipso, quod motus sit in rerum natura, etiamsi præscindamus ab illo omnem realitatem vel modum quemcumque superadditum, ita permanet in esse, ut moram aliquam insumat. Atqui tempus nihil est aliud, quam mora et duratio ipsius motus. Ergo tempus nihil re vel ex natura rei distinctum addit super motum. 3.<sup>o</sup> Præterea ex aristotelica definitione, mox expendenda et propugnanda, tempus est *numerus motus secundum prius et posterius*, id est ipsæ partes priores et posteriores successive numeratæ vel numerabiles. Ergo ipsæmet partes motus, prout successive fluunt, et sunt in rerum natura, constituunt tempus. Partes autem motus ita fluentes et cum successione prioris et posterioris existentes, non distinguuntur ab ipso motu.

325. **Obicies 1.<sup>o</sup>** Idem motus diurnus v. g. terræ circa suum axem esset duplo velocior, si conficeretur duodecim horis, esset item duplo tardior, si conficeretur quadraginta octo horarum spatio. Atqui repugnat idem tempus esse duplo velocius vel tardius. Ergo tempus et motus re distinguuntur.

**Resp. neg.** Major. Quamvis enim idem numero spatium possit velocius vel tardius percurri, non tamen eodem numero motus. Id quod facile explicari potest supponendo velocitatem ac tarditatem motus non esse aliquid distinctum ab ipsa motus substantia vel entitate, quod valde probabiliter dicitur. Tunc enim velocitas et motus sunt intrinsecæ affectiones et quasi differentie constitutivæ motus, saltem in individuo, ita ut quilibet motus ex sua peculiari et individua entitate, quam accipit a causa efficiente, habeat talem gradum velocitatis vel tarditatis, quin possit alium gradum diversum accipere; sicut entitas quævis hac vel illa differentia,

eligitur  
sententia negans  
realem  
distinctionem.

Quædam  
objectiones  
soluuntur.

sive specifica sive individuali, constituta, non est indifferens ad aliam differentiam diversam accipiendam. Quo supposito falsum est, motum diurnum terræ fore eundem, qui nunc est, si dupla velocitate vel tarditate conficeretur (1).

Objic. 2.<sup>o</sup> Potest Deus eundem numero motum reproducere, non potest autem reproducere idem numero tempus. Ergo hæc distinguuntur plus quam ratione. Major probatur: non enim major repugnantia est in iteranda eadem numero actione, quam in reproducendo eodem numero termino. Atqui idem numero terminus reproduci potest. Ergo et eadem numero actio. Cum autem non magis repugnet actionem eandem successivam, quam instantaneam, reproduci, sequitur posse reproduci eandem quoque numero successivam actionem seu motum (2). Minor vero patet 1.<sup>o</sup> ex vulgato illo axiomate: *Ad præteritum non datur potentia*. Tempus ergo, quod jam fuit, non potest non fuisse. Si autem non potest non fuisse, repugnat jam iterum esse; hæc enim duo simul stare nequeunt. 2.<sup>o</sup> Deus non potest facere, quin dies præteritus et præsens sint duo dies. Ergo non potest facere, ut dies heri præteritus, sit iterum hodie præsens; nam secus dies ejusmodi hesternus et hodiernus unus tantum dies esset (3).

Respondent quidam, *negando* Majorem, tum quia implicat tempus reproduci; posset autem profecto reproduci, si reproducere motus, supposito quod hæc idem realiter sint; tum quia, ut ex doctrina Aristotelis superius statuimus, unitas numerica motus sumitur inter alia ex unitate temporis. Hæc tamen responsio non satis solida videtur; primo quia nondum satis probatum est, quod nequeat idem numero motus reproduci. Deinde quia quod unitas numerica motus requirat unitatem temporis, non vetat, quominus motus reproducatur. Cum enim temporis unitas assignatur inter conditiones unitatis motus numericæ, id intelligi potest, de tempore extrinseco, unde mensurari solent motus, itemque respectu agentium naturalium, quæ certe non possunt

(1) Vide Suarez (loc. cit., num. 4-10), fuse de his disserentem.

(2) Vide possibilitatem ejusdem numero actionis reproductæ fusiuse probatam apud Suarez (loc. cit. num. 12).

(3) Apud Suarez (ibid. num. 10).

facere unum numero motum nisi uno tempore; non autem necesse est id intelligi respectu divinæ quoque potentie. Quod vero tempus, cuius unitas requiritur ad unitatem motus numericam, accipiendum necessario sit pro tempore intrinseco, non probabis, nisi supponendo quod tempus re distinguatur a motu, atque adeo petendo principium (1). Itaque

Respondeo, *concedendo* Major., et *negando* Minor. «Neque contra hoc obstat illud principium: *Ad præteritum non est potentia*; nam licet Deus reproducat tempus præteritum, non faciet, ut quod fuit, non fuerit: in quo sensu illud axioma profertur; sed faceret, ut quod semel fuit, iterum sit, quod non est contra illud axioma, immo hoc ipsum fit in reproductione rei permanentis. Neque etiam repugnat, quod tempus jam præteritum nunc sit præsens, eo scilicet modo, quo tempus potest esse præsens ratione instantis, idem enim instans quod præterit, potest nunc esse præsens, et easdem partes continuare. Sed in hoc cavenda est æquivocatio et sophistica deceptio; nam tempus præteritum dicit duo, scilicet tempus ipsum, et præteritionem, quæ constituitur per negationem existentie rei, quæ aliquando fuit. Cum ergo dicitur tempus præteritum iterum fieri præsens, non est excogitandum, quod illud tempus quasi retrocedat, et desinat esse sub priori negatione præteriti, et fiat præsens; nam illud involvit repugnantiam, ut dictum est; sed idem tempus, quod semel fuit, et sic semper manet præteritum, iterum in rerum natura constituitur, et sic fit præsens. Quod vero dicitur, hesternum et hodiernum diem necessario esse duos dies, naturaliter quidem verum est; supernaturaliter autem dico, esse posse unum et eundem diem bis repetitum: nam, sicut quantitas pedalis naturaliter non potest loco adequari quantitati bipedali, supernaturaliter autem potest, si bis in loco ponatur, ut alibi latius tractavi, ita idem numero motus naturaliter non potest duplam durationem explere; si autem bis repetatur in rerum natura, id fieri poterit sine repugnantia (2).

(1) Vide Suarez, loc. cit. num. 12, 13.

(2) Suarez, loc. cit. num. 14, apud quem fusiuse doctrina hæc declaratur num. 15 seqq.